



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

106. Feria 2. Secretum Pilati colloquium, primum examen Christi: quis sit?
& quid fecerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

rus sit. Ut tantæ innocentiaë suam particeps, ad mensam Domini adibo, quæ juxta D. Bern. de Coena Dom. *In magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit.* Rogabo à rubicundo propter accusationes, candido propter innocentiam, ut me à rubore reatus absolvat, innocentiaë candore ornet.

MEDITATIO CVI.

Feria 2. Dom. Passionis.

Secretum Pilati colloquium, & primum examen Christi, quis sit? & quid fecerit?

Aspiciam felicem, sua si bona nôset, Pilatum, quod nactus sit, à quo disceres beatus esse: sed infelicem, toti que mundo injurium, quod Regem veritatis loquentem de regno veritatis, vel non audiverit, vel plura non interrogaverit. Petam agnoscere innocentiam Christi, & imitari.

Conf. 1. Quomodo Pilatus introiens in Prætorium vocaverit IESVM, & dixit ei: *Tu es Rex Iudæorum?* quia magna de eo habebatur opinio, volebat omnia exquisitè rimari, amoto strepitu Iudæorum. *Respondit IESVS:* Ioan. 18. *Atmetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* est dilemma: Si ex te loqueris, pande signa rebellionis: si ab alijs percepisti, inquisitionem fac ordinariam. *Respondit Pilatus:* **A me hoc non dixi, à Iudæis audivi; si**

te Regem negas, quid fecisti, ut tradereris Iu-
 dexis? Respondit Iesus: Regnum meum non est de
 hoc mundo, non ait, non est in hoc mundo,
 sed, non est de hoc mundo: quia regnū Chri-
 sti est collectio fidelium, quæ est in hoc mun-
 do, non regnum temporale, sed spirituale:
 non terrenum, sed coeleste: quia habet origi-
 nem à me, qui de coelo descendi, ut hanc
 congregationem per doctrinā & fidem mihi
 uniam. Ne zeles, vel suspiceris quidquam de
 regno meo: si ex mundo esset, ministri mei uti-
 que decertarent pro me, &c. Dicit ei Pilatus:
 Ergo Rex es tu? dicit illi Iesus: Tu dicis: Con-
 firmat Pilati sententiam, & ut Ioan. habet
 18 Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego.
 Tu carnalis carnaliter dicis: particula hæc
 quia Hebraicè est certè Rex sum ego: ego in
 hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut tes-
 timonium perhibeam veritati: omnis qui est ex
 veritate, audit vocem meam. ait Pilatus: Quid
 est veritas? & cum hoc dixisset, iterū exiit, &c.
 Non audivit responsum: fortè quia non cu-
 rabat de quæstione speculativa, & exinde pri-
 mum dat innocentia testimonium Christus:
 Ego, (inquit,) nullam invenio in eo causam.
 Conf. 2. Christum ad illa verba: Quid fe-
 cisti potuisse respondere: Omnia, & nihil; be-
 ne omnia, malè nihil. Disquiram, quis ego
 sum, an unus de regno Christi, & quid dignū
 regno

regno Dei fecerim, imò quid non indignū?

Conf. 3. Quomodo invalescebant dicentes: Commovit populum docens, Luc. 23. Hinc Pilatus occasione acceptā Christum mittit ad Herodem, declinans invidiam. Comitabor Dominum raptatum ad examen alterum politici Magistratūs, qui si bonus est, non condemnabit Veritatem.

MEDITATIO CVII.

Feria 3. Dom. Passionis.

Silentium perfectionis signum.

Aspiciam Dominum, qui fugerat honores, bene præparatum ad ferendum contemptum, & ignominias, è silentio suo exortas. Petam nōsse, quomodo in silentio sita sit omnis perfectio.

Conf. 1. Quomodo Herodes viso Iesu gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, &c. & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri, ideòque interrogabat eum multis sermonibus: gaudere se, quòd è Galilæa regione sua eluxerit mundo talis, tantusque vir, cujus fama & doctrina desiderium sui fecerint, ejusque videndi prodigia: displicere sibi casum infelicem, in quo eum videret, velle se opem ferre: & fortè interrogaverit: illene sit, ad quem venerant Magi ab Oriente, &c. Certè D. Chrylost. ait; *Volebat*